



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 82. Pollicitatio Cæsaris Galliarum Regi adversus Venetos facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. sese provocant, ut alter alterius sanguine  
 A.C. 1500. satiatur.

## §. LXXXII.

*Pollicitatio Cæsaris Galliarum Regi  
 adversus Venetos facta.*

*Petr. de  
 Angl. ep. 434*

Interea continuo adhuc fervebant Prin-  
 cipum dissensiones; singuli enim, cum  
 metuerent, ne Ludovicus Galliarum Rex  
 totam Italiam occuparet, vel palam vel  
 clam eidem insidiabantur, illumque ex  
 Italia propellere moliebantur, uno solo  
 excepto Maximiliano Cæsare, qui, cum  
 Gallorum ope pristina sua recuperasset  
 dominia, Regi haud quaquam adversa-  
 batur.

Præterea Julius, cum nullam odii in  
 Gallos exerendi occasionem prætermi-  
 teret, Venetis amicitiam, quæ Ludovi-  
 cum inter & Cæsarem intercedebat, sus-  
 pectam reddere omni studio nitebatur,  
 prætendens, ambos in eorum potissimum  
 ruinam conspirare, atque ejusmodi fove-  
 re consilia, quæ, si Galli prævalerent,  
 Reipublicæ admodum noxia forent. Nec  
 vana erat Pontificis suspicio; quippe Im-  
 perator Tarvisinæ, Vicentinæ, & Pa-  
 tavinæ urbis dominium Galliarum Regi  
 addixerat, ea tamen lege, ut copiis in a-  
 ciem eductis bellum Venetis inferret, eos-  
 que ex hisce tribus urbibus propulsa-  
 ret;

ret; neque hic tantum steterat Maxi-  
 miliani pollicitatio, sed quemdam etiam  
 suorum familiarium probatæ fidei Virum  
 Lugdunum, ubi tum Franciæ aula age-  
 bat, decrevit, qui Regi fidem faceret,  
 quod Cæsar eidem nunc pignoris loco  
 Veronam cederet, si ei quinquaginta Du-  
 catorum millia mutuo daret, quæ, si non  
 unacum foenore præstituto tempore nu-  
 meraret, eadem urbs Regis dominio re-  
 lineretur, eam tamen præstita solu-  
 tione ac indemnitate Rex Cæsari integra  
 fide redderet. Hanc conditionem mi-  
 nime respuendam censebat quidem re-  
 gius Franciæ Senatus, Rex vero primo  
 tergiversatus, demum missa ad Maximi-  
 lianum legatione, repulsam ei nunciare  
 decrevit, ast cum is, cui Gallum ad Cæ-  
 saris vota inclinandi cura erat demanda-  
 ta, opportune subjungeret, Maximilia-  
 num, si Rex petitam summam numerar-  
 turus esset, eidem, præter hætenus pro-  
 missa, securum etiam transitum ad Min-  
 cium & Vallegium omnino permissurum,  
 illudque territorium perpetuo jure Gallis  
 cessurum, si evoluto anno quinquaginta  
 illa Ducatorum millia restituta non fuis-  
 sent, hinc foedus confestim firmatum est,  
 ac Deputato pacta pecuniarum summa  
 numerata fuit.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1510.

§. LXXXIII.